



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Mvtivs C. 25. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

duas affusus Cruci, furens absolvit. Idem beneficium an. CD. XXIV. caelo receptus in agrum repetivit, sed eo longè digniorem. Mater nocturnis ejus obsaturata querelis, potum identidem flagrantem, daemones simili voto propinavit, sed ZENOBIVS pepulit; utinam & foedum morem vocantium tam immanes hospites, quasi non invocati in nos irruerent. *Ex Surio.*

*Solenter animus ante actionis suae primordia cuncta debet adversa meditari, ut semper hac cogitans semper contra haec thorace patientiae munitus, & quidquid acciderit, superet, & quidquid non accesserit, lucrum putet. S. Greg. 5. Mor. c. 33.*

## S. MVTIVS C. 25. Maij.

**A**gite mortales, & vel latronem ducem ad caelum sequimini. MVTIVS hic est, qui apparatus compilandi sacri Parthenonis somno oppressus, rapit ad divinum tribunal sibi visus, supplicia suis facinoribus parata intellexit, nisi celeri poenitentia ipse sibi jus dixisset. MVTIVS recta ad sacros profectus viros, animae vulnerum medicinam eos poposcit. Tres primùm ex odis Davidicis stropharum ei praescriptae; quam ad amissum cum vitam exigeret, Superi postea ejus erudiendi provinciam sibi depoposcerunt. In eorum contubernio expolitus, scholam denique aperuit ex latrone magister factus virtutis. Eum sol reveritus est, inaudito post Iosue factum exemplo, ita cursum moderans, ut non ante occumberet, quam ille tugurio discipuli successisset; quem praeter se defunctum cum invenisset, rogavit familiariter, an redire in vitam vellet. Abnuentem valere iussit, & tumulto composuit; quod ille officium tam studiosè  
suis



26. Maii. VIÆ SANCTORVM. 263

suis impendit, ut nonnemo è sepulchro parcere eum sumptui operæque jufferit. Alteri ad mortem imparato vitæ triennium impetravit. Ne curâ corporis à Deo avocaretur, mensam illi Dominicis diebus Angelus instruxit, ceteros impransus, & incœnatus egit. Hunc tamen tam vicinum cælo avocare, ad nescio quos Pharaonis thesauros dæmon instigit. Sed ille Nilum calcare solitus, & clausis foribus, quoquò libuisset, penetrare, viam denique etiam ad Cælites reperit, violentus scilicet homo, atque uti olim ædibus, ita cælo quoque vim facturus, nisi spontè patuisset. *Ex vit. PP.*

*Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccatorum premia divina desperet: novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum. S. Aug. ps. 50.*

S. CARPVS EP. 26. Maii.

**N**on est cor li Deo rigida pietas, & justitia misericordiæ oleo non temperata. Id CARPVS te docebit, qui à Paulo Apostolo Christianâ Philosophiâ imbutus, hujus tam præclari & necessarij axiomatis aliquando visus est oblivisci. Compererat Christianæ militiæ tyronem, ad deferenda crucis signa, à dæmonis cultore esse inductum, quâ injuriâ ad Deum Opt. Max. pertinente, ita est exacerbatus, ut impia ex æquo capita Orco devoverit, quòd mediocri supplicio nullo vindicari posse scelus manifestarium & ultimæ perfidiæ persuasum haberet: & verò gestiebat animo, cum dehiscendo sub utriusque pedibus terrâ, inferni ignis fumum ferri in ora, ipsosque stantes in præcipitio similes ruituris aspiceret, impulsurus etiam, si copia fuisset, Subinde etiam aperiri cælum,